Butyrum cacao novum atque commendatissimum medicamentum ... / [Theophilus Hoffmann].

Contributors

Hoffmann, Theophilus, active 1735. Mauchart, Burchard David, 1696-1751. Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae: Typis Josephi Sigmundi, [1735]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/wurb7zeq

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection 183 Euston Road London NW1 2BE UK T +44 (0)20 7611 8722 E library@wellcomecollection.org https://wellcomecollection.org

BUTYRUM CACAO

NOVUM ATQUE COMMENDATISSIMUM MEDICAMENTUM

PRÆSIDE BURCARDO DAVIDE MAUCHARTO,

Med. & Chir, Dr. ac Prof.. Ordin, Consiliar. & Archiatr. Wirttembergico

PRO LICENTIA

HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORIS
MEDICI

rite capessendi

Ceu specimen physico - medicum

Publico Submittit EXAMINI

THEOPHILUS HOFFMANN,


TUBINGENSIS.

Die

Maj. MDCCXXXV.

Hor. Loc. Q. Solit.

TUBING Æ,
TYPIS JOSEPHI SIGMUNDI.





Σ. Θ.



Ultitudine remediorum, præcipue galenicorum, officinas nostras pharmacevticas luxuriari, imo laborare verius & obrui cordatiores dudum agnovere medici. Quamvis vero Augiæ hoc stabulum purgare, imo totam pharmaciam quasi in nucem redigere conati sint varii priore, hocque ipso seculo celeberrimi chymiatri, interque hos,

post Dan. Ludovici, Stahlius dissert. de passionibus animi &c. corollario i imo centum forte simplicia sufficere medico posse reputaverit, crevere tamen hactenus vel cum ipso hominum novaturientium & delicatulorum studio, vel cum auri sacra fame, qua impiger extremos mercator currit ad Indos, vel cum ipsa etiam domesticorum remediorum insufficientia uti nova materia medica entia, sic nova etiam praparationes & principiorum evolutiones.

Unde cum ad ejusmodi nova nolentem volentem medicum aures arrigere non minus oporteat, quam ad lapidem lydium rationis & experientiæ revocare deceat laudibus subinde in cœlum elata nova medicamenta, non inutilem me suscepturum esse laborum audacter sum confisus, quum nuperrime disserentem publice Dn. Præsidem de Butyre Cacao, ceu novo nostris saltem in regioni-

A 2

bus

bus remedio, audiens in animum statim induxeram, telam illam, brevi sermone tunc cœptam modo, nunc peculiari dissertatiuncula pertexendi, sicque specimen aliquod, disputatione inaugurali haud

indignum, exhibendi.

Commoda hæc videbatur primum occasio, una, quod ajunt, fidelia duos parietes dealbandi & præsenti, de novo hoc remedio, è nucleis Cacao parato, themati, vel præmittendi, vel ad latus ponendi recensionem & explorationem aliquot aliorum medicamentorum, novitatis non saltem gratia, sed ipso etiam usu apud nos quoque se jam commendantium, uti sunt Gallorum La pierre d'acier: La Pate de guimanve, seu, quæ aliis audit, royale: Sirupus emulsivus, in anglia familiaris: Pulvis sebrifugus Berolinensium. Verum enim vero vellicat nimis sedulo aures officium, quod interea consecutus sum, practicum, meque à prolixiore thematis elaboratione retrahit ad lectos ægrotantium.

Qum ob rem id saltem agam, ut, in unum hocce intentus objectum, succinctam sim exhibiturus nucleorum & Butyri Cacao historicam, chymi-

cam atque medicam enucleationem. Faxit Deus, feliciter!

Arbor cacavifera, americana, mexicana, hinc etiam nux mexicana, calidissimi ergo climatis incola, pingue tamen, riguum atque uliginosum amat solum & umbrosam aliarum arborum frondofarum viciniam. Quatuor ejus recensentur species. Refertur ad arbores pomiferas non umbilicatas fructu, cortice duro tecto. Comparatur crassitie trunci c. pruno nostrate, ramorum frondibus cum cerafo fructu cordiformi, ea tamen cum differentia, ut prunum proceritate non attingat, cerasum vero patula ramorum expansione superet. Folia habet alternatim sita, acuminata, obscurius viridia, aurantiæ foliis similia, sed angustiora & longiora, nullo fere pediculo cauli adnata, nervo unico & recto prædita, è quo multæ obliquæ venulæ sursum emergunt. Flos ei magnus rosaceus, polypetalos, è cujus calice multifolio surgit pistillum, tubi cujusdam multifidi laciniis cinctum, quod dein abit In fructum, ramis & surculis nullo interveniente pediculo, proxime adhærentem, cucumeriformem, striatum, seminibus fœtum in quinque utplurimum acervulos collectum, oblongos, in multas veluti amygdalas fiffiles.

Fructus

Fructus hi ab initio virides prout magnitudine augentur, ita colore & figura variant ad perfectam usque maturitatem. Nonnulli subrotundi sunt, pomorum instar, alii oblongi, cucumerum forma, verum plerique ovati, melonibus non absimiles, magnitudine varii, à mali sylvestris ad pyri maximi aut melonis mediocris molem, ejusmodi etiam cortice duro, minus tamen quam in melone crasso, tecti, quo vel leviter inciso nuclei statim apparent. Præterea exterior pars fructus, sive crusta, tuberculis quibus-

dam inæqualis est, secus ac in melone, velut ornatus causa abs natura factis protuberantiis; iis, quæ in pomis vulgaribus non raro cernuntur, similibus, obtusis, extremi digité magnitudine. Color fructuum pro maturitatis ratione variat, ad quam quo propius accedunt, eo colore rubente, sive incarnato, quem vocant, magis tincti sunt & striati, præsertim ex parte soli obversa ad modum vul-garium pomorum; Unde & maturitas cognoscitur.

Nuclei Cacao dicti membranulis singuli singulis includuntur, ge-latinam quandam lacteam continentibus, quæ in ore liquescitillico. Nucleorum numerus pro fructuum magnitudine variat, à duode-nario ad tricenarium & ultra. Magnitudine sunt amygdalarum vulgarium, non tamen adeo compressi, membrana tenuissima, sive cuticula cincti, ante maturitatem albentes, cum plenius maturuerunt obscurius rubent: Exsiccati & chocolatæ conficiendæ idonei nigricant magis, & ad colorem renis bovilli accedunt, quem & incifuris suis imitantur: Inprimis autem hisce sub fissuris pinguis quidam & oleosus humor invenitur.

Cum fructus collegerunt, corticem exteriorem (qui apud americanos nullius ferè usus est) incidunt & nucleis exemptis abjiciunt. Hos vero pelliculis exutos & à mueilagine adhærente deterfos, super storeis aut linteaminibus expansos soli exponunt, donec humore omni evocato perfecte exficcentur. Nuclei, dicto modo probe curati, gustu subamari sunt & pingues s. oleosi, odoris nullius.

Hughesius, cui hactenus enarrata debentur à potiori, uti & Piso, recensente Mangeto in Bibl. pharm. Tit. de Cacao, substantiam eis tribuunt è crassioribus simul & tenuioribus partibus compositam: Si enim in pulverem redigatur primum, & sola mox, etsi frequenti, tusione pinsatur, in massam cogitur; Quod cum siat

A 3

sine ullius rei admissione, arguendum esse tenacem & bituminosum quendam inesse humorem, intermixtis tamen particulis multis igneis, quæ necessario incidere & reserare debeant corporis meatus, non vero præcludere, uti quidam volunt; Unde etiam Hughesius negat ullam mulieribus indicis ex horum esu noxam accedere, seque ipsum sæpius esitasse crudos magno numero tum in Jamayea, tum inter navigandum, nec tamen ullum inde nocumentum

sensisse.

Hæc est totius arboris Cacao & nucleorum inprimis, in quibus scilicet cardo dissertationis versatur, succincta historia, side quidem aliena, sed probatissimorum Auctorum & ipsa nitens horum avtopsia! Paucis enim datur hancce adire Corinthum! Quemadmodum vero hoc suit recentium succulentorumque nucleorum, in loco natali collectorum & exploratorum specimen physicum; Ita par est, illos ipsos etiam inquirere ac describere, quales post superatum longum iter marinum ad nos appellunt inque nostris obveniunt pharmacopoliis: Nullum enim est dubium, illos in via ad nos è tam notabili climatis aërisque mutatione & variatione imo & asservationis diuturnitate alterari varie & corrumpi facile, atque sic ex hac etiam ratione chocolatam, cui scil. pro basi inserviunt nuclei cacao, in Indiis paratam, multis parasangis antecedere nostratem

europæam.

Nuclei ergo, quales nostræ suggerunt officinæ pharmacevticæ, sigura referunt pariter, ut supra dictum, amygdalas communes, nisi quod non æque sint compress & complanati, sed crassiores & turgidiores. Obteguntur pellicula striata, rugosa, coloris ut plurimum spadicei, vel etiam dilutioris rusescentis, tenui, sed valida tamen & duplici constante lamella, quæ cultello facile ab invicem se parantur, contentum intus nucleum arctius complectente. Interior hæc pellicula, longe tenuior & albidior externà, in ipsa nuclei sissuras atque rimas profundius se immergit, similis hoc respectu mihi visa piæ matri, sulcos cerebri ac cerebelli itidem subintranti. Quod vero paulo superius dictum est, nimirum quod Jndi exemptos è capsula sua nucleos pellicula naturali exuant, non in ordine ad nucleos nobis transmissos, sed illos saltem valere putaverim, quos ipsi statim Jndi in suos trahunt usus: Secus enim cariei, situi &c. injuriis

injuriis externis subjicerentur gravius, non levi dispendio.

Detracto hoc cortice pelliculato nucleus comparet similiter spadiceus, magis tamen adhuc ad nigredinem declinans, variis atque frondeis quasi scissuris, plus minus profundis, sulcatus, substantia dura, compacta, cultro nihilominus prompte citra fracturam obedientis, grati odoris aromatici, qualis etiam in chocolata eminet, saporis dulcis, oleosi, cum aliqua tamen adstrictione conjuncti. Quo sunt targidiores, pleniores & integri magis, suis pelliculis probe obtecti: quo sunt recentiores & in loco temperato studiosius asservati, eo sunt etiam præstantiores.

Quamvis igitur cacao nuclei ad naturam & virtutem amygdalarum dulcium, pinearum & pistaciorum plurimum accedere semper visi sint authoribus, ipsis etiam Indis pro vario potus & eduliorum genere hodienum inserviant, Europæi tamen substiterunt hastenus in solo ad nectar ilsud delicatulorum, chocolatam puto, respectu, illosque pro vario formularum & arcanæ nonnullorum compositionis modulo, ad basin ejus, sed in connubio variorum aromatum &c. saccharique, tanquam excipientis additamento, constituendam unice adhibuerunt, & in formam modo tabularum, modo

pastillorum redegerunt.

Transmitto lubens hoc thema, quod alii dudum excusserunt pro dignitate, imò quod voluptuosum præsens seculum magno crumenæ, sanitatis etiam subinde, dispendio nimis quantum & novit hactenus & excoluit, ac è laudabili cetera medicamento merum es-

finxit gulæ irritamentum & molle voluptatum pulvinar.

Animum defigo potius ad paratum è nucleis hisce Cacao sic dictum Butyrum, den Cacao-Butter. Transmissa sunt ejus specimina ad nos Vienna, in forma tabularum exigua, quarum singula pendet 3v. circiter, colorisque est è slavo-albescentis, substantiæ quidem solidæ, sed mollis tamen, & inter ipsos contrectantis digitos, vel accedente leni aliquo calore, statim liquescentis & in oleum dissuentis, odoris grati, qualis fere solet ipsi Succoladæ, aromatibus l. aliis fragrantibus non resertæ, quæ suos è nucleis Cacao natales itaque manisestat evidenter. Frustillum ore sumptum mox mox dissuens saporem unctuosum, butyraceum, blandum, sed tamen non simplicem hunc & satuum quasi, sed leniter aromaticum insuper, & nucleos

nucleos Cacao referentem inprimit linguæ; Id quod longe majore cum gratia præstat, insuso Theæ, 1. lacte vaccino, qer sacchari

tantillum edulcorato, solutum.

Plura ad calcem dissertationis, ubi de prærogativis, virtute ac modo utendi verba sum facturus, subjungam prædicata. Interim de nomine, an scil. butyri, an sebi, an olei expressi nomen potius mereatur, prolixe non disputabo? Butyri notionem non ad unum regnum animale restringi lippis notum est atque tonsoribus. Butyrum perlarum, improprie, sed communiter tamen & recepto usu vocari in vulgus notum est. Butyrum perlarum, in laboratorio ceylonico descriptum, ad butyrum stricte sumptum, pariter improprie resertur. Butyracea concrementa regnum vegetabile alia suppeditat adhuc: e.g. cremorem illum unctuoso-butyraceum liquoris betu-læ, verno tempore exstillantis è sauciata arbore, & post aliquam, per nycthemeron, quietem in vase aperto maxime supernatantem, it. oleum rosar. dltum. &c. Authoritatem de reliquo hujus appellationis prætexere aliam nec possum, nec necesse puto, quam illam Medici Galli, Quatremain, abs Mangeto loc. jam citato, allegatam: Qui Hæmorthoides s. ficus ani in seipso curaverit, partes assectas butyro nucis cacao inungendo.

Encomia, que novis ejusmodi remediis hederam suspendunt, intra solam, quod sciam, pectoralis usus substiture sphæram, eoque nomine se primitus & primario commendavit etiam in nostro Ducatu. Sed virtutes ejus nimium arctis includi cancellis à priori argutus facile prospiciet medicus, & à posteriori statim procul dubio experietur. Itaque nunc progredior ad ipsam nucleorum cacao explorationem & analysin chymicam, ut sic in antecessum pateat, quid de ipsis in foro medico sperare liceat, superadditurus modum

praparandi butyrum hocce.

Equidem haut ignoro duas maxime urgeri objectiones satis speciose contra hanc methodum demonstrandi principia partesque mixti constitutivas, quatenus nimir. in genere non modo in omnibus plantis, cuicunque analysi subjectis sal, aqua, oleum ac terra eruuntur; sed etiam, quod plus est, plantæ tam diversæ, uti solanum furiosum & brassica capitata, per analysin chymicam in principia, numero & qualitate tam sibi similia, rediguntur, ut anno-

tante Hombergio in memor. De l'acad. royal. des sciences An. 1701. pro unius ejusdemque plantæ, bis saltem resolutæ, haberi possint, cum illa tamen venenata, hæc vero sit esculenta. Accedit & illud momentum, quod ex commixtione nova principiorum, separatim prius evolutorum, pristinum tamen compositum, minime liceat iterum compingere, quæcunque etiam fermentatio. vel ignis gradus adhibeatur.

Ita profecto se res habet! Ignis est infidus analysta, gradu præsertim intensiore adhibitus. Addit, demit, confundit. Ratiocinio & exemplis si confirmare vellem & illustrare hanc thesin, extra oleas vagari nimis jure meritoque viderer. Ideo tamen frustraneum plane laborem experimentis ejusmodi analyticis, statim enarrandis suscepisse videri nollem, quoniam nec omnia gravem illam ignis torturam subierunt, nec illa etiam, quæ fortiorem licet ignem experta sunt, adeo mutavere principia mixti, ut de qualitate & quantitate non liceat verosimiliter judicare : nec denique valet argumentatio ab impossibilitate restitutionis, ut juridice loquar, in integrum, mixti, in sua principia resoluti, ad negationem eorundem principiorum. Quemadmodum enim actione ignis aliæ avolant particulæ, aliæ immutantur & modo ad volatilitatis, modo fixitatis gradum evehuntur eminentiorem, neque cuiquam licet artifici modum atque gradum intrinsecæ particularum, magnam alterationem nondum passarum, commixtionis & texturæ penitus assequi & è partibus totum restituere, quicquid etiam de palingenesia jactitent authores: Ita mirum non est ex commixtione salis, aquæ, olei & terræ, è quodam semine e. g. per analysin chymicam eductorum, pristinum semen restitui denuoque formari non posse.

Inoffenso igitur pede jam progredior ad illa experimenta, quæ & temporis angustia, & nucleorum conditio, exsiccatorum scilicet & abs sole americano jamjam torrefactorum quasi, variasque itineris longissimi ac diuturnæ asservationis varias alterationes pas-

forum, admiserunt.

Nuclei hi cacao, suis adhuc pelliculis inclusi, in aqua tepida per viginti quatuor horas, & quod excedit, macerati, hanc non saltem mucilaginoso quodam lentore, sed putredinosa quoque ac urinosa fracedine, instar asellorum exsiccatorum, quos prævia ma-

B

ceratione mensis aptare nostris solemus. Unde luculenter confirmari jam in limine allegatam veritatem historicam gelatinæ cujusdam lacteæ recentium nucleorum membranulas ambientis, insimulque de sale volatili urinoso abundante satis superque constare puto. Idem phænomenon sætoris exhibuerunt nuclei, pelliculis suis liberati, per similem macerationem, eandem vero mucilaginem non reddiderunt.

Simplex infusio, mediante aqua fervida, instar theæ, facta & per horæ quadrantem sibi relicta, aquam slavescente, ad rubellum inclinante tinxit non modo colore, verum etiam grato theæ orientalis aliquali sapore ita imbuit, ut supervenientem huic experimento amicum quendam, pro theæ potu propinando eam, deceperim.

Ad imitationem Caffea, nucleos cacao tostos & in farinam redactos infundentibus ac coquentibus non æque successit negotium, empyrevmaticum ingratumque odorem atque saporem præbente

hoc decocto.

Balneo Maria commissa libra una (pondus autem civile semper intelligimus) nucleorum decorticatorum, non tostorum, sed contusorum saltem, superassus aqua destillata roris majalis octo libris. Blanda hac & per integrum continuata biduum destillatio prabuit successive aquam clarissimam, nucleos cacao sapore ac odore referentem, non ingratam, mihi ad aquam è pane destillatam aliquatenus accedere visam, quantitate librarum quatuor. Finita destillatione hac, massa reliqua exempta, evaporata praloque subjecta reddidit, per expressionem, olei, in butyraceam consistentiam post refrigerationem concrescentis, 3ij, 3v, ac Dij.

Ignis arena nucleorum electorum, tostorum, decorticatorum ac in pulverem redactorum, & aquæ puræ libris octo circumsusorum, libræ uni subditus, ac successive auctus, exhibuit intra octodecim sere horas primo destillantem aquam, modo enarratæ, per MB. redditæ simillimam, nisi quod prior illa subtilior, sapidisque minus imprægnata videretur particulis. Massa hæc ad siccitatem destillata conspiciendum præbuit oleum supernatans, instar pinguedinis jusculi carnis pinguioris, à lateribus etiam cucurbitæ, quibus adhæsit te-

nacissime, non facile abstergendum.

Omne vero à destillatione residuum, in ahenum stanneum translatum, superfusa sufficienti aquæ quantitate, per aliquot horas cotum pinguedinis, cochleari ablatæ, majorem non modo præbuit
quantitatem, sed & puriorem, teneriorem atque albidiorem, zj.
& zvj. pondere. Residuum hujus quoque coctionis exsiccatum expressumque suppeditavit insuper zj. & ziß. Igitur una hæc libra
nucleorum præbuit olei, s. butyri in summa zji, zvijß. Interim neque per MB, neque per ignem arenæ, neque per coctionem, nec
per expressionem, quocunque etiam adhibito studio, illam butyri
quantitatem consequipotuimus, quam Celeberr. Boerhaave, Element.
Chem. Part. II. p. 100. refert, scil. ex una libra nucleorum, olei,
seu sebi, zvij. Addit Ipse vero laudatus author: Optimi Cacao.
Facile enim largimur, Ipsi recentiores atque selectissimos in promptu magis suisse nucleos, ac nobis quidem heic Tubingæ, rarius &
nonnisi ad Chocolatæ consectionem hactenus illos adhibentibus.

Expressionis, tanquam alias etiam planissimam, ineundo viam, nucleorum cacao electorum, bonæque notæ, thiij. post tostionem modicam, decorticationem, trituram ac conquassationem super lamina ferrea, polita, calefacta, in saccum, uti solet, è linteo cannabino decenter consectum inditæ, præloque subjectæ calefacto exsudarunt olei, amygdalarum dulcium expresso simillimi, in patinam desuentis stanneam, ast cito satis refrigescentis atque in butyraceam concrescentis consistentiam, zix. Dum itaque liquidum est adhuc, in varias se patitur siguras essusum formari pro lubitu.

Non instituimus placentæ hujus, ab expressione residuæ consistentiam, ast cito satis resultante pro lubitu.

Non instituimus placentæ hujus, ab expressione residuæ coctionem cum aqua, quæ novam procul dubio, ast parciorem, extorsisset denuo pinguedinem: Sed partim novæ subjecimus trituræ,
calesactioni ac expressioni. Hinc vero quemadmodum butyrum
primæ expressionis colore albido & mollitie non æquabat illud,
quod in destillatione per MB obtinuimus, ita nec secundæ expressionis
butyrum dictis qualitatibus accedebat ad primæ expressionis oleum;
licet utrumque nihilominus gustui gratissimum perstitisset & in liquido quocunque calido æque cito penitusque dissussisset: partim
retortæ injecimus vitreæ. Hinc, igne gradatim aucto, prodit
acidulus, vel aqua potius spirituosa, \(\operatorea \) evol. prægnans, saporis
aciduli, odoris nonnihil empyrevmatici, ad \(\operatorea \) is ferè, coloris susci.

lam plane mutationem subivit.

Butyrum fusco nigrum, exigua quantitate per latera recipientis defluens ab alcalinis solvebatur. VR ectificatiss insusum tinxit hunc subflavo colore, suctuantibus in vitro particulis suscis. Abstracto ab hac Tinct. ad partem tertiam, illa rubicundior evadebat, & suctuantes illæ particulæ bituminoso-Vstres majori copia præcipitabantur & liquor turbabatur. Post sistrationem exceptæ cochleari particulæ illæ & igni impositæ colliquescebant in substantiam viscidam.

Eadem Tinct. A. û viniliberata, mediante leni evaporatione reliquit substantiam butyraceo-piceam, rubram, pellucidam, slexilem, acris saporis, qualem accensa eadem Tinct. in cochleari, post deslagrationem, pariter exhibuit: Ex assusione vero aqua lactescebat, & resinam, sub pulveris lactei forma, pracipitabat, resinae jalappae consistentia similem. Ol. D. — O turbidam reddide-

runt Tincturam.

Caput mortuum, s. exustus carbo, in retorta remanens & igni injectus slammam statim concipit, nuslumque fere sumum emittit: idem vero in ∇ coctus, cum \longrightarrow \bigcirc bullulis replevit, turbidamque fecit aquam: Cum \longrightarrow \bigcirc com. \longrightarrow \bigcirc * & Tinct. is alcalinis nulla suit reactio ac mutatio: In crucibulo combustus reddidit cinerum Zi. zvij, qui mediante aqua pluviali destillata elixiviati dederunt \bigcirc is sixi, acris, instar \bigcirc Tartar. zij \bigcirc \bigcirc B. qui per aliquot dies in aëre libero relictus per deliquium sluens, in liquorem suscum, non diaphanum, transiit.

Dispalescere hinc videtur in genere abundantia principii oleosi Lei, resinosi atque Dini in nucleis cacao, in specie vero phlegmatis in principium magis acidum, butyri autem constitutio è Leis volatilibus oleosis potissimum atque acidis particulis, intermixtis

terrestribus, invicem junctis.

Fuere, ut supra monui, hæc residui, ab expressione, magmatis s. placentæ, per ignem retortæ examinati, data: Ubi ergo plurimum oleosi atque activi principii jam suerat eductum. Hinc consultum duxi, ut novo igne retortæ tentarentur nuclei cacao, sibi relisti,

integri,

integri, per noctem in ∇ tepida macerati, dehinc decorticati, &, decantata aquà, denuo super linteum exsiccati, pondere zviij. Igne per 15. circiter horas debite adhibito, adscendit post primum trihorium phlegma quoddam, aquæ, particulis oleosis refertæ, simillimum, quantitate zvij. Dij. Insecutus est and fuscus parum differre visus ab illo, quem paulo supra descripsi, quantitate ziß. ziij. nisi quod nares & linguam minus seriret, & als acidis, atque alcalinis nullam plane subiret mutationem. An quod oleoso - ∇ eis particulis intimius adhuc suerit permixtus?

Denique evectum quoque est oleum suscum, non destillans in vas recipiens, sed collo potius retortæ adhærens, in molle butyrum coagulatum, particulis oleosis, subnigris, empyrevmaticis remixtum, volatilem de se spargens sætorem. Hujus butyri 3j. 3iß.

obtinuimus.

Diffractà retorta exemptum caput mortuum, instar nigerrimi carbonis exustos ostendit nucleos, socientes tamen adhuc satis & in igne pariter deslagrantes. Pendebant adhuc ziv. Tum vero se obtulerunt jucundo spectaculo, undique lateribus retortæ sundi atque colli adhærentes candidissimi slores sublimati, partim instar minimarum acicularum solitarie & recta extantium, partim in varias irregulares siguras, instar sloccorum nivis, congestarum, sapore non tam Oino, quam bituminoso potius & amariusculo præditi, aquæ assus connubium respuentes, sicque sulphureo-resinosam indolem suam satis declarantes.

Qualia nuclei cacao non decorticati per ignem retortæ, ad intensissimum reverberii gradum, adauctum præbuerint phænomena, cum nostris hucusque recensitis plurimum conspirantia quoad phlegmatis, —, olei & capitis mortui eductionem, è Rajo tradit Mangetus Bibl. pharmacevtico-Med. Tit. de Cacao.

Hactenus ergo demonstratum est, in quæ principia resolvantur nuclei cacao! Quamvis plura adhuc potuissent institui experimenta, hæc tamen sufficere mihi visa sunt, nisi quidem nonnullis nauseam moverunt jamjam. Superaddam tamen id unicum, ut aliquanto magis pateat ipsius butyri, per expressionem parati, natura:

Scilicet butyri hujus cacao Zij. commissa sunt retortæ, in arenam immersæ, subministrato per gradus igne. Primo quinquehorio

B 3

nulla

nulla futuræ destillationis vestigia comparebant, ast aucto ignis gradu, esse ingrata, oleum quasi philosophorum spirantia, copiose sunt dispersa, adscendente interea butyro per tres horæ quadrantes, quod in vase recipiente concrevit iterum, albidius, molliusque jam factum, sed tam volatilis, sulphurei gravisque fætoris, ut naribus, licet nondum proxime, admotis, violentissime percelleret animales spiritus, & momentaneam exstasin essiceret. In lateribus retortæ cuticulam reliquit nigram, porosam & instar caudæ pavonis resplendentem, ipsi autem butyro tractus quidam magmatis oleosi susco-rusus, instar caudæ, adhæsit.

In quantam prima hac destillatione per retortam, volatilitatem confusæ adhuc particulæ Oinæ & Aeæ volatiles, compedibus crassiorum oleosarum atque terrestrium ligatæ jamjam sint evecæ, vel

solus satis superque testatur olfactus.

Plus ultra progredi tanto magis supersedeo, quanto certior sum, igne fortiori, per repetitas vices adhibito, aliisque consuetis operationibus chymicis ulteriorem quidem principiorum obtineri separationem, atque ultimato reductionem in ∇ ; Sed cum hic nihil singulare & distinctivum ab aliis mihi pollicear, alias etiam per superiora medicamenta nucleos cacao satis pro scopo præsenti reputem illustratos, transitum nunc faciam ad butyri per expressionem parati depurationem, qualitates & virtutem medicam describendas.

Differentias butyri hujus quoad colorem & consistentiam graduales, non adeo notabiles, paulo antea recensui: Nimir, quod per coctionem blando igne purius obtineatur & albidius expresso; Id enim quod prelo suit extortum, ad colorem è cinericio ad hepaticum

vergentem magis accedebat, & compactius videbatur.

Licet vero nihil quidquam adeo virtuti & laudibus butyri expressione parati decedat, imo cum nucleorum cacao specificum, eumque gratissimum odorem ac saporem si non plenius, æquè tamen servet, & in liquore calido eadem promtitudine solvatur, ut sic pari minimum passu ambulare, si non præferri videatur; attamen, ut attingeremus albedinem ejus speciminis, quod Vienna transmissum supra laudavimus, sequentia adhuc tentamina, manus commodante porro nostrate Pharmacopæo & Chymico versatissimo, Dn. Gmehlino, curavit institui Dn. Præses.

Prime

Primo butyri expressi aliqua portio in pura fuit cocta, unde ruborem aliquem contraxit V, impuritates vero ad fundum subsederunt, quales solent alias in butyri excoctione. Post continuatam aliquandiu coctionem sublata pinguedo in puram frigidam, hincque exempta blando calore susa est in patella & post evaporationem humidi Th, per linteum colata. Unde dehinc frigefacta in butyrum coaluit fatis candidum.

Secundo, ad imitationem similis quodammodo concreti oleosi, spermatis ceti, lixivium paravimus, juxta descriptionem Ett-mulleri in disp. de spermate ceti, è ciner. clavellat 3 & calc. viv. 3 magna quantitate aquæ dilutorum. Decoctum in hoc lixivio butyrum & quasi elixiviatum rursus, irrubescente pariter aqua, sed tamen turbida, saponacea facta, atque percolatum, uti paulo superius tradidi, concrevit in priorem consistentiam, sed albidiorem fimul, quod intendebatur, induit colorem. In hac præparatione id maxime cavendum, ut ne Θ is fixi portio juncta maneat intimius oleo, s. butyro cacao & saponem efficiat, cui quidem laudabilis medica virtus non effet deneganda, interim tamen hic non expetita,

ANNIH COLUMN

Tertio, ad analogiam olei nucistæ expressi, per W dealbandi, idem alcoholisatus butyro assussi in mortario calesacto, linimentum, sub exhalatione effluviorum minus gratorum, durioris confistentiæ, & albedinis augmentum produxit. Affusa calida aqua mixturam reddidit multo tenuiorem atque fluidiorem. Tanta postremo aquæ addita portio, ut butyrum sese iterum separaret, uno eodemque cacabo cocta invicem stupendum quendam sub coctione strepitum ediderunt, — umque vini exhalarunt in auras; Aquæ vero turbatæ supernatans butyrum, frigefactum, saponis amygdalini æmulum, hinc exceptum cochleari argenteo, calefactum est atque percolatum. Unde mollissimum, consistens tamen, evasit, & ejusdem fere ac reliquarum depurationum coloris.

Habebit ergo liberrimam benevolus Lector optionem, quo potius modo butyrum cacao præparare, vel paratum viennense il-lud statuere, vel meliorem nobiscum communicare methodum voluerit. Hanc ipsi saltem è Boerhaavii Chemia cautionem & encheiresin commen-

commendavero: ut, sive per coctionem, sive ver expressionem paretur butyrum hocce, nuclei excorticati in farinam s. pastam contundantur in mortario lapideo, hæc autem vapori aquæ calidæ aliquantum exponatur, & dein iterum leniter siccetur: atque postea vel in s. q. aquæ coquatur, ac supernatans oleum assiduo auferatur: id vero quod ab ejusmodi coctione residuum est, expressioni adhuc posse subjici, ne quid pereat, meminerit; vel & vice versa. Nisi enim optima nota possint haberi nuclei, è horum libra civili supra Ziij butyri vix obtinere licebit, sicque butyri Zj. non minoris, ac dimidii vel floreni, vel imperialis venire poterit.

Nec tanti emisse tamen pœnitebit unquam? Cum virtute enim hujus butyri medica, ac suavissimi odoris saporisque aromatici gratia, & miscibilitatis cum liquoribus calidis quibusvis facilitas, & assumptionis commoditas, & durationis illibatæ constantia tam singulari amicissimoque conspirant connubio, ut similibus aliis medicamentis oleosis, e. g. ol. amygd. d. spermati ceti &c. internè hau-

riendis palmam facile præripiat.

De gustibus quidem disputandum non esse vulgaris fert parcemia. Ast quis adeo depravati fuerit gustus, quis obtusarum adeo narium, qui recentissimi & modico etiam calore expressi amygdalarum, vel dulcissimi, olei fatuam unctuositatem, qui spermatis ceti sebaceam, & sub calidissimo licet haustu, circa assumentis labia mox mox iterum concrescentem è longinquo haud nauseet tenacitatem exhorrescatque? maxime cum indignabundus postea quasi stomachus ab admisso hospite tali oleoso frequentes molestosque incurrat ructus, si non ipso reddat vomitu, à crebriore vero usu atoniam, anorexiam, cardialgiam &c, contrahat.

Cum è contrario butyrum cacao, quod jam dixi, nullo horum incommodo laboret, quin potius ea notabili gaudeat prerogativa, quod à metu lentoris rancidi, cui sperma ceti & inprimis ol. amygd. d. brevi subsunt, longissime remotum sit, & majorigestationis, aut vectionis commodo, tanquam solidum medicamentum, præ liquidis oleosis emineat. Pinguedo canina, quam non sine fundamento laudant in phthisi, hecticaque pulmonali, non saltem è rationibus modo allegatis, sed ob ipsam quoque originem animalem, caninam, mul-is longe postponenda videbitur butyro nostro Cacao.

Dandum

Dandum profecto est aliquid, imo sæpe multum, palato, idio-syncrasiæ, imo capiti etiam patientis heteroclito. Sunt, qui naturali tantaque in omnia medicamenta seruntur aversatione, ut ad eorum appulsum exhorrescant, ad assumptionem contremiscant, & sub ipsa vel tandem deglutitione tentata miseram faucium gulæque constrictionem incurrant, &, si vel maxime in ventriculum quasi fuerint detrusa, retrogrado per vomitum itinere, sub molestissimis stomachantis ventriculi torturis, statim, l. brevi post, rejiciant. Ordinaria hæc sere est cum infantibus puerisque refractariis scena.

Itaque si rhetoricæ persuasioni locus non sit suturus, pia fraude licebit ægrotum decipere, & inscium surtiva ingestione prudenter fallere. Nihil enim interest, quomodo solvatur nodus hic gordius,

modo folvatur!

Antequam vero ad usum medicum, dosin & adhibendi modum progrediar, pauca prælibare consultum videtur de modo agendi atque facultatibus butyri nostri medicis. Et quidem in genere primo consideratur tanquam oleum nativum, blandum, modico calore è seminibus oleosis eductum vel coctione, vel pressione: Unde laxando, emolliendo, demulcendo partes sibrasque strictas, aridas, excoriatas: poros aperiendo, humores vero acres, Oinos obvolvendo, obtundendo, imbibendo manifestam exhibere videtur efficaciam.

Cum vero sapor atque odor, aromaticus gratusque, qui corpori olei, qua talis, adscribi nequit; de activis statim testentur aliis principiis, volatilibus, solis, tino per processus chemicos, supra recensitos, innotescat abundantis tini atque qui principii connexio intima & immersio cum particulis oleosis, butyraceis, terreisque, fixioribus, itaque satis fundata insuper videtur virtus resolutiva, anodyna atque simul nutritia, restaurativa, analeptica.

Color butyri, per expressionem parati, ad hepaticum nonnihil accedens, & subsidentia quædam minimarum particularum ejusd. coloris, ad fundum, concrescentis in butyraceam l. sebaceam consistentiam olei, produnt, ni fallor, illas sixiores particulas terrestres, & quasi feculam nucleorum. Tale vero concretum, aqueis calidisque menstruis adeo solubile, tanto facilius etiam auscultabit

internis domesticisque nostris humoribus, salivæ, liquori gastrico, pancreatico, tanquam menstruis aquoso-\(\theta\)inis; Imo bili in duodeno permiscebitur adhuc plenius faciliusque juxta canonem: Similia similibus solvuntur. Atque hac ratione chylo, lymphæ, sanguini amiciore vinculo connubet, horum intemperiem \(\theta\)inam, acrem temperabit, adque partes affectas non saltem deseretur facilius, verum loculis etiam atque cellulis membranæ pinguedinosæ magis magisque ingestum, successive habitum corporis succulentiorem restituet atque pinguiorem.

Quæsitus senex quidam philosophus, qua arte in tantam sene-Etutem protraxerit vitam sanitatemque? respondit: Extus oleo, intus melle. Ita veterum athletarum unctiones & frictiones ad sanitatem athleticam plurimum contribuisse nullum est dubium. Sed & interaus olei usus suis non destituitur laudibus, talis præcipue, quale no-

ffrum est butyrum cacao,

Facillimus jam est transitus à generalibus ad specialia, à modo agendi, & facultalibus butyri, ad ejus usum specialem in diversis affectibus morbosis. Horum vero agmen ducant morbi pettorales. Dulcia pectus amat, juxta tritum illud axioma medicum; laxiore autem sensu, non saccharata saltem dulcedo, sed blanda, demulsiva quoque, mucilago, & oleositas subintelligitur. Constrictiones tensionesque spasmodicæ quamcunque invaserint corporis partem, moleste satis, subinde & periculose afficiunt. Ast, si modo queritantem de suo asthmate, uti solet, sententiose, Senecam attendamus, id non est morbum pati, sed animam agere. Sive enim à spasmo externo musculos pectorales stringente, s. interno, retis fibroso-nervei pulmonum, aut diaphragmatis; sive ab infarctu bronchiorum qualicunque respiratio intercipiatur; gravissimeque turbetur, hinc autem palpitans cor, ob circulam fanguinis turbatum, fimul in extremas conjiciatur angustias, etiam non expertus Rupertus, facile fidem adhibebit, pectoralium angustiarum majorem fere reliquis esse calamitatem.

In præsente tali discrimine vitæ quoties jam divinam tulit opem nauseabundum illud sperma ceti? Tanto autem acceptiorem præstabit in posterum, imo jamjam plus semel præstitit, butyrum nostrum cacao, quanto est, ut paulo ante demonstravi, assumptu ju-

cundius,

cundius, faciliusque. Quidsi idem, per lixivium supra recensitum, è ciner. clavell. & calc. viv. quemadmodum sperma ceti, dealbatum & particulis alcalinis, Oinis aliqua parte imbutum, dicatur præstantius in casu infarctus, & visciditatis pituitosæ, puru-

lentæ, sanguineæ?

Pleuriticis igitur, phthisicis, peripnevmonicis, vomica pulmonum, tusti ferina, spasmodica, catarrhali. raucedini ab infarctu, 1. excoriatione, vel siceitate pendenti, spasmodico sicco, humidoque etiam certo respectu, asthmati conveniet egregie. In respectu e. g. ad vomicam rumpendam emollit folliculum, materiam contentam digerit: ad exscreationem promovendam, lubricat inungitque bron-chiales vias, tenax sputum incidit; & sicuti hîc, ita & post pleu-ritidis decursum novellam cicatricem delinit, callosam indurationem prævenit, vel resolvit, atque sic molestas perniciosasque stri-Eturas & irritationes tollit.

Dum hisce vero sonticis affectibus butyrum oppono nostrum cacao, non exclusa ideo reliqua consueta volo medicamenta, pro mali gravitate, & variatione prudenter interponenda, atque mutanda. Imo cum ipsa butyri hujus sorbillatione calida selici successu junctum iri tam certus, quam qui certissimus sum, aquam DN. PRÆSIDIS visceralem appellatam, hic non saltem, sed olim quoque fausto omine Stuttgardiæ jam pharmacopoliis inductam, qua sola serè, interposito tantum pulvere ex absorbentibus, mucilaginosis & analepticis constante, phthisicos aliquot, tantilla spe salutis

vix amplius fretos feliciter restituit, supra expectationem.

Descriptionem ejus publici juris faciendam tanto magis duxi, quod mentem DN. PRÆSIDIS, omne bonum debere esse communicativum statuentis, habeo perspectissimam. Formula hæc est: R. Herb. c. flor. hyperic. Hed. terr. Veronic. Scabios. Chærefol. Bugulæ. Fol: plantag: min. aa. recentium Miv. Rad: rec: Symphyt. Liquirit. Farfaræ aa. zv. Cancror: fluviat: vivor: & integror. nro. XXX. Pulmones vituli. Mastiches elect, ziij. Anis: stellat. zvj. Macis 3j. M. C. C. Infund. per noctem V veronic. Hed: terr. Bugloss. Chærefol. aa. thj. Destill. per MB. Servetur in usus officinales. S. Aqua visceralis. Titulus hicce generalis an fundamentum habeat in re, atque ad pulmones in specie conducat affectos facile C 2

facile judicabit, qui facultates ingredientium habet cognitas.

Intestinorum, porro, varii affectus internum butyri cacao usum sibi vendicabunt pariter. Scil. in colica spasmodica, nephritica, dysenteria, angustatione particulari hujus vel illius intestini, constipatione, tenesmo, vim emolliendi, lubricandi, humectandi doloresque mitigandi exeret egregiam, quemadmodum contra affumpta mineralia venena, copiosius in lacte calido haustum strenue militabit.

Nec minus urina vias in nephritide calculosa, dysuria, stranguria, exulceratione, scabie ac calculo vesicæ urinariæ, &c. respicier sufficiens butyri cacao usus. Hic enim vel canalium per emollitionem dilatatio, vel parietum defensio & inunctio: vel acris, acutæ causæ morbisicæ tam humidæ, quam solidæ potissimum intenditur correctio, quæ medicamento tam suavi, tanto magis obtineri vult, quanto in nephritide alias jam satis per consensum afficitur & in vo-

mitum pronus est ventriculus.

Gravidis ultimo gestationis tempore, atque puerperis statim à partu primisque diebus subinde propinari solet ol. amygd. d. rec. expressum, vel oleum olivarum optime note dulcissimumque, scopo notorio, lubricandi, emolliendi, ut illis tanto expeditior esset partus, his vero rectior sluxus lochiorum. Verum enim vero quantum eheu sepe repugnat delicatuli sexus vel sensilius palatum, vel debilior ventriculus, vel utrumque conjunctim! Quanta hine medicis tædiose ogganniunt, dejecti per hæc oleosa appetitus & pessundati ventriculi opprobria! Essugiendis his medium aptius, si quidem oleosa sint absolute necessaria, non noverim ipso hactenus laudato butyro.

Ad hanc normam facile jam licebit alios adhuc affectus accommodare quibus butyrum quadraret nostrum; sed lubens hic filum abrumpo, ne Lectori tædiosus siam longiore morborum catalogo, vel ipsius propriam nimis præoccupare videar sagacitatem, de nsie externo, emolliente, paregorico, ad varios externos affectus non contemnendo alterum experientia, alterum vero analogia momentum superadditurus: Primum supra jam ex Mangeto allegavi, quod medicus quidam Gallus, Quatremain vocatus, hamorrhoides (cæcas, procul dubio, in nodos & sicus protuberantes) s. sicus ani in se ipso

curaverit,

curaverit, partes affectas butyro nucis cacao inungendo. Alterum sistunt sissura papillarum lactantibus adeo sensiles, & tot remediorum passim decantatorum spem eludentes, simplici linimento, è & sebo cervino invicem super igne in cochleari I. sictili quodam suss & colliquatis, omnium optimo remedio, seliciter hactenus debellatæ, illito ipso linimento chartæ ceratæ, atque sic applicito papillæ excoriatæ & in rimas fissæ.

Cum autem butyrum cacao facilius adhue in linimentum coëat cum v alcoholisato, ac anodyno refertius videatur, quidni hunc etiam in finem præferri mereretur? Quam enim Rhodius in analect. affert cautelam: quod in mammillarum fissuris vitanda sint emollientia & laxantia, humidiore jamjam existente papillarum natura, quæ ideo potius leniter exficcari debeant) hoc Dn. Præsidis experimențum atque consilium nequaquam infringere videtur, utpote tali linimento non simpliciter existente oleoso.

Superest, ut de modo usurpandi & dosi pauca quoque subjiciam. Potest butyrum hocce ita sibi relictum masticari, in ore colliquefieri & sic deglutiri citra nauseam, vel certe non tanto cum fastidio. Ast longe præstat ejus solutio per infusum calidum theisorme, vel quodeunque lac, addito facchari modico; quo ultimo in menstruo gratissima mihi visa fuit ejus assumptio, chocolatæ quasi æmula. Si vero in ipfo, succoladæ, vel casseæ potu hausta præferatur, non habebo quod contra menstruum butyri opponam, sed forte satis contra vehiculi vel frequentiam, vel inconvenientiam. Sed neque locus hic est, neque animus adoriendi Cerberum illum tricipitem: Theam, Caffeam, Chocolatam. Cremor hordei, l. avenæ pariter commode inserviet pro vehiculo.

Infantibus nihil repugnat, quo minus c. ipsa manna, sirupo violar, &c. in eclegma redigatur, butyrum nostrum, vel & loco vaccini butyri, aut conjunctim c. ipso, semel atque iterum puls eorum, cocta præbeatur, vel, ut supra commendavi, cum lacte vaccino

commixtum exhibeatur fugendum.

Dosis pro adulto à 3\beta. ad 3\ites. vel ij. pro una vice & symptomatum varietate potest evehi, & vel quotidie semel, matutino tempore, ad expectorationem juvandam, aut noctu ante cubitum, pro sedanda tussi nocturna; Vel etiam bis sumi, mane atque noctu, per aliquot dierum, quin & septimanarum decursum. Sic. e. g. hectico,

hectico, phthisico per integrum mensem toto curæ lactis asinini curriculo, quovis primo haustu matutino calido, aliquantum sac-

charato, butyri cacao 3\beta. 1. 3j. poterit propinari.
Si cui insuper volupe fuerit butyrum nostrum ulterioribus imbuere viribus, & butyrum potabile rubrum vel viride hinc conficere, ad analogiam subhoc titulo jam jam extantis notissimique butyri potabilis utriusque, quod & sub unguenti, quoniam usu etiam externo ad ungendum adhibetur, venit nommine, Butyrum habebit compositum, non contemnendum, in usus trahendum tam in-

ternos, quam externos.

Interea vero merentur attentionem non generales modo illæ cantela, quibus circumspectum oleosorum ac emollientium usum restringunt passim auctores, & de quibus legi meretur inprimis Wedelius in amcenitatibus materiæ medicæ, ac de facult. medicamentor; Sed in specie lectu dignissimæ sunt, quas Bærhaavius in Element. chym. P. II. p. 96. speciosissime inculcat: quod nempe oleorum ejusmodi expressorum facillimus sit transitus intra paucos dies æstivo tempore, è crasso in tenuius, de blando in acre, è dulci in amarescens, ex insipido in rancidum, ex albo in slavescens, ex anodyno in erodens, delaxante in inflammans, &c.

Idem quoque valet de butyro, lardo, medulla. Quo hæc re-rentissima sunt blandiora, eo siunt acriora & horribiliora, aëri com-missa sub cœlo æstuoso. Quamvis ergo, inter prærogativas butyri cacao, ejus durabilitatem diu integerrimam me posuisse nondum pœniteat, ideo tamen inficias irenolo, recens paratum præstare ve-teri & in loco calido diu asservato, vel radiis solaribus multum ex-posito; Quamvis ad suspectam slavedinem declinans & rancidum evadens hocce butyrum, eademmethodo & facilitate, qua sperma ceti solet, rancidum factum, adpriorem laudabilem reduceretur indolem.

Quod reliquum est, tangit producta illa chemica è nucleis cacao: phlegma, aquam illam spirituosam, O volat. & fixum, oleum empyrevmaticum, flores sublimatos, caput mortuum, & butyrum rectificatum volatile. Deprioribus nihil singulare, quodnon de similibus totaliis eodem jure prædicari possit, mihi promiserim. Oleum illud empyrevmaticum e.g. pares, cum oleo Tatar. fœtido, resolvendi atque robo-randi vires possidebit procul dubio, quas vero in tumoribus glandu-

lofis

loss rebellibus & obstructionibus nervorum, hemiplegia, paralysi & cephalæa quoque &c. efficacissimas tutissimasque uxu externo

toties ab ol. Tartar. fœtido expertus dilaudat DN. PRÆSES.

Butyrum vero illud per ignem retortæ rellificatum, adque tantam, quam supra miratus sum, evectum volatilitatem, ad sinem dissertationis properantem me aliquantisper adhuc moratur. ♀ atque ⊖ volatile, in expresso butyro latentia, & subjugata, nunc per ignem, ♀ grossioris destructorem, humidi aquei dissipatorem, ♥ stris principii combustorem, suis vinculis liberata Ejusdem maxime constituent principia activa. Hinc etiam gravissimo, ob summam penetrationem, odore nares percellit, & acrem linguæ saporem imprimit, ob subtilissimam vero volatilitatem illam in aere libero brevi multum remittit, sic ut calamo illitum anserino & abstersum ab eo iterum primis diebus olue-

rit gravissime, quinto & septimo nihil quicquam amplius.

Redundat ex his observatis duplex monitum: alterum ad pharmacopoeos, ut vitro studiosissime obturato asservent in loco frigido: alterum ad Medicos, ut ne quid nimis agant, & cum summe activo medicamento caute discant mercari. Non enim hic saltem est sermo de circumspectissimo, imo forsitan penitus interdicendo usu interno, sed etiam externus suas sibi vendicat cautelas. Si velit pro exrerno excitativo, odoramento, naribus offerri syncopticarum, hystericarum, lethargicarum, apoplecticarum &c. personarum, suspensa id manu agere oportet, nec nimis crebro. Situmoribus rebellibus frigidis, infarctis glandulis, strumis, scrophulis, si debilibus artubus, si obstructo vel & irritatato nervorum medullæ spinalis principio, si rhevmatismis inveteratis, si fœdis, antiquis, calloss, verminosis ulceribus, si tollendis escharis &c. &c. applicetur, uti quidem, felici successu adhiberi posse dictis affectibus sumpersuasissimus, & modico, & refracta aliis appropriatis dos, & interposita interdum quiete, & aliis pro subjecti & affectus conditione opus erit cautelis.

Erunt fortasse qui commendantem hoc novum remedium utrumque, butyrum Cacao, expressum & rectificatum, exprincipiis potissimum hucusque theoreticis, excipiant cautis & frequentibus persuam praxin experimentis. Quod ut è voto cedat apprecatus nunc dissertationi finem impono, utque lector benevolus levidenses pagellas aquis benevolisque perspexerit oculis pro clausula habeo votorum.

COROL-

COROLLARIA.

I.

Optimi pessima est corruptio. Patet exemplo dulcium illorum expressione paratorum oleorum, in rancidam summeque noxiam facile degenerantium acrimoniam.

2

Unctio frequens ad modum veterum athletatum, quem constituti in hunc sinem certi homines, aliptæ olim dicti, qualesque illi suere Romanorum Servi Medici, exercuere, ad robur & habitum corporis succulentum atque torosum conserre plurimum valuit, in regionibus maxime calidis, ubi transpiratio insensibilis plus importat, ac in temperatis, l. frigidis.

Pinguia, oleosa, crassa, ossibus, nervis, tendinibus, erysipelacez & phlegmonoda infesta sunt inflammationi.

Quid ergo miri, vel boni potius, præstabit oleum amygdalarum dulcium, recentissime licet expressum, in febribus acutis, inflammatorius, usu interno? Solvant, si placeat, nodum, hujus curationis Patroni!

Cur pinguissimam, præcipue suitlam, carnem depereunt pueri, ægre serunt juvenes, sastidiunt adulti? an quod liquor gastricus salivalis, blande salinus per ætatis periodos & vitæ generis mutationes magis magisque redditur ineptus, particulis keterogeneis saturatior, ad solvendum subigendumque pingue,

Ventriculus debilis, calidus, biliosis, acidis, nidorosis cruditatibæs onustus, uti hypochondriacorum, hystericarum, conopotarum strenuorum, vitæ sedentariæ addictorum, &c. pinguia & oleosa non bene sett, sed statulentiam hinc, cardialgiam, sodam, vomitum, choleramque incurrit.

Pinguedo difficilioris est digestionis & in ventriculo resolutionis ideo quoque, quod cellulis suis loculisque inclusa, non niss masticatorio identium officio satis extricatur. Unde Arabes in genere: Qui male masticat, animam odit.

Vomitus amarus, acris, biliosus visus post assumpta pinguia, oleosa, non semper, multo minus solitarie bilis vitiosæ soboles est, sed rancescentis corruptique in acrem amaritiem ipsus utplurimum ingesti oleosi, pinguisve.

